

illo, ego non acceperim? Sane hoc casu nocere mihi deberet. Sed si per emptorem mora fuisset; deinde, cum omnia in integro essent, venditor moram adhibuerit, cum possit se exsolvere, equum est, posteriorem moram venditori nocere.

18. PAPIANUS, lib. 3 Responsorum.

Habitacionum oneribus morte libertorum finitis, emptor domus ob eam causam venditori non tenetur, si nihil aliud convenit, quam ut habitaciones secundum defuncti voluntatem super pretium libertis prestarentur. — § 1. Ante⁵⁸ pretium solum domini questione mota, pretium emptor solvere non cogitur, nisi fidejussores idonei a venditore ejus evictionis offerantur.

19. HERMOGENIANUS, lib. 2 juris Epitomarum.

Venditori si emptor in pretio solvendo moram fecerit, usuras dumtaxat prestabit, non omne omnino, quod venditor, mora non facta, consequi potuit, veluti si negotiator fuit, et, pretio soluto, ex mercibus plus, quam ex usuris, querere potuit.

TIT. VII.

DE SERVIS EXPORTANDIS¹, VEL SI ITA MANCIPIUM VENIERIT, UT² MANUMITTATUR, VEL CONTRA.

1. ULPIANUS, lib. 32, ad Edictum.

Si fuerit distractus servus, ne aliquo loci moretur, qui vendidit, in ea conditione est, ut possit³ legem remittere, ipse Romae retinere: quod et Papinianus lib. 3 respondit, propter domini enim (inquit) securitatem custoditur lex, ne periculum subeat.

2. MARCIANUS, lib. 2 Publicorum.

Exportandus si venierit ab Italia, in provincia morari potest: nisi specialiter prohibitum fuerit.

3. PAULUS, lib. 50, ad Edictum.

Si quis hac lege veniit⁴ ut intra certum tempus manumittatur, si non sit manumissus, liber fit: si tamen is, qui vendidit, in⁵ eadem voluntate⁶ perseveret, heredis voluntatem non esse exquirendam.

4. MARCELLUS, lib. 24 Digestorum.

Si minor viginti annis servum tibi in hoc vendiderit, [et tradiderit,] ut eum manumiteres, nullius⁷ momenti est traditio, quamquam ea mente tradiderit, ut, cum viginti annos ipse expleset, manumitteres: non enim multum facit, quod distulit libertatis praestationem, lex quippe consilio ejus quasi parum firmo restitit.

5. PAPIANUS, lib. 10 Questionum.

Cui, pacto venditoris, pomerio cujuslibet civitatis interdictum est, urbe etiam interdictum esse videtur. Quod quidem alias cum principum mandatis praecipitur, etiam naturalem habet intellectum, ne scilicet qui careret⁸ minoribus, fruatur majoribus.

6. Idem, lib. 27 Questionum.

Si venditor ab emptore caverit, ne serva manumitteretur, neve prostituatur, et aliquo facto, contra quam fuerat exceptum, evincatur, aut libera judicetur, et ex stipulatu poena petatur, doli exceptionem quidam obstatutam putant: Sabinus, non obstatutam: sed ratio faciet, ut jure non teneat stipulatio, si ne manumitteretur, exceptum est: nam incredibile est, de actu manumittentis, ac non potius de effectu beneficii cogitatum: caeterum si, ne prostituatur, exceptum est, nulla ratio occurrat, cur poena peti, et exigi non debeat, cum et ancillam contumelia adfecerit, et venditoris affectionem⁹ forte, simul et verecundiam lacerit: et enim alias, remota quoque stipulatione, placuit ex vendito esse actionem. — § 1. Si quid emptor, contra quam lege venditionis cautum est, fecisset, [aut non fecisset,] nobis aliquando¹⁰ placebat, non alias ex vendito propter poenam homini irrogatam agi posse, quam si pecuniae ratione venditoris interesset, veluti quia poenam promississet: caeterum viro bono non convenire credere, venditoris interesse, quod animo scientis satisfactum non fuisset. Sed in contrarium me vocat Sabini sententia, qui utiliter agi ideo arbitratus est, quoniam hoc minoris homo venisse videatur.

38. L. 24, C. de evict. Tit. VII. — 1. Lib. 4, C. 55. — 2. Lib. 4, C. 57. — 3. L. 2, C. si serv. export. veneat. — L. 3, infr. qui sine manumissis. — 5. L. 6, in fin. C. si mancip. ita fuerit alienat. — 6. Immo vide L. 2, in fin. infr. qui sine manumissis. — 7. L. 51, infr. de legat. 2. L. 7, in fin. infr. qui et a quib. manumissis: L. 66, infr. de verb. oblig. L. 4, C. qui manumitt. non possunt. — 8. L. 4, supr. de senat. L. 7, in fin. infr. de interdict. et relegat. — 9. Adde L. 7, in fin. infr. h. t. — 10. d. L. 7. — 11. L. 6, § 1, supr. eod. — 12. Adde L. 54, in pr. supr. mandati: d. L. 6,

7. Idem, lib. 40 Questionum.

Servus ea lege venit, ne in Italia esset: quod se aliter factum esset, convenit circa stipulationem, ut poenam praestaret emptor: vix est, ut eo nomine vindictae ratione venditor agere possit: acturus utiliter, si non servata lege, in poenam, quam alii promissit, incidit. Haec consequens erit, ut hactenus¹¹ agere possit, quatenus alii praestare cogitur: quidquid enim excedit, poena, non rei persecutio est. Quod si, ne poena causa exportaretur, convenit, etiam affectionis¹² ratione recte agetur. Nec videntur haec inter se contraria esse, cum beneficio adfici hominem, intersit hominis: enimvero poena non irrogata indignatio solum duritiam continet.

8. Idem, lib. 27 Questionum.

Quasitum est, si quis proprium servum vendidisset, et, ut manumitteretur intra certum tempus, praecipisset, ac postea mutasset voluntatem, et emptor nihilominus manumississet, an aliquam eo nomine actionem haberet? Dixi, ex vendito actionem, manumisso servo, vel mutata venditoris voluntate, evanuisse.

9. PAULUS, lib. 5 Questionum.

Titius servum vendidit ea lege, ut, si Romae moratus esset, manus injicere¹³ liceret: emptor alii eadem lege vendidit: servus fugit a secundo emptore, et Romae moratur: quaero, an sit manus injectio, et cui? Respondi: In fugitivo non est dubitandum, nihil contra legem factum videri, quia¹⁴ nec domino auferre se potest, nec qui in fuga est, ibi moratur: quod si [ex] voluntate secundi emptoris, contra legem moratus sit, potior habendus est, qui auctor fuit legis: et posterior, magis admonendi emptoris, et liberandi se eandem legem repetierit: nec poterit aliquo modo auferre legem sui venditoris, cujus conditio existit: nam et si poenam promississet, tenetur, licet ipse quoque stipulatus esset: sed in poena promissa duae actiones sunt: manus autem injectio in servum competit. Quod si prior ita vendidit, ut prostituta libera esset, posterior, ut manus injicere liceret, potior est libertas, quam manus injectio. Plane, si prior lex manus habet injectionem, posterior libertatem, favorabilius dicitur, liberam fore, quoniam utraque conditio pro mancipio additur, et sicut manus injectio, ita libertas eximit eam injuriam.

10. SCEVOLA, lib. 7 Digestorum.

Cum venderet Pamphilam, et Stichum, venditioni inseroit pactum conventum, uti ne eadem mancipia, Pamphila et Stichus, quos minorato pretio vendidit, alterius servitium, quam Seii paterentur, post mortemque ejus in libertate morarentur: quaesitum est, an haec mancipia, de quibus inter emptorem et venditorem convenit, post mortem emptoris jure ipso liberata sint? Respondi, secundum constitutionem divi Hadriani super hoc prolata, Pamphilam et Stichum, de quibus quaereretur, si manumissi non sint, liberos non esse: Claudius. Divus Marcus ex lege dicta libertatis in vendendo, quamvis¹⁵ non manumissos fore liberos in semenstribus constituit, licet in mortis tempore emptoris distulit venditor libertatem.

LIBER NONUSDECIMUS.

TIT. I.

DE ACTIONIBUS¹ EMPTI², ET VENDITI³.

1. ULPIANUS, lib. 28, ad Sabinum.

Si res vendita non tradatur, in id⁴, quod interest, agitur: hoc est, quod rem habere interest emptoris: hoc autem interdum⁵ pretium egreditur, si plures interest, quam res valet, vel emptia est. — § 1. Venditor, si, cum sciret deberi servitutem, celavit, non evadet ex emptio actionem: si modo eam rem emptor ignoravit: omnia enim, qua contra bonam fidem fiunt, veniunt in empti actionem. Sed scire venditorem, et celare, sic accipimus, non solum si non admonuit⁶, sed et si negavit servitutem

in fin. pr. supr. h. t. — 13. L. 2, L. 2, C. si serv. export. veneat. — 14. L. ult. § 4, infr. de public. L. 15, in fin. pr.; L. 18, infr. de acquir. vel amit. possess. — 15. L. 2, C. si mancip. ita fuerit alienat. Tit. I. — 1. Lib. 4, C. 49. — 2. L. 11, in pr. infr. h. t. — 3. L. 15, § 19, infr. eod. — 4. L. 11, § 9, infr.; L. 4, L. 10, L. 12, C. eod. — 5. Immo vide L. 21, § 5, infr. eod. — 6. L. 29, infr. eod.

istam deberi, cum esset ab eo quaesitum: sed et si proponas, eum ita dixisse, Nulla quidem servitus debetur, verum, ne emergat inopinata servitus, non teneo, puto eum ex empto teneri: quia servitus debebatur, et scisset: sed si id egit, ne cognosceret emptor aliquam servitutem deberi, opinor, eum ex empto teneri. Et generaliter dixerim, si improbo more versatus sit in celanda servitute, debere eum teneri, non si securitati suae prospectum voluit. Haec ita vera sunt, si emptor ignoravit servitutes: quia non videtur esse celatus, qui scit, neque certiorari debuit, qui non ignoravit.

2. PAULUS, lib. 5, ad Sabinum.

Si in emptione modus dictus est, et non praestatur⁷, ex empto est actio. — § 1. Vacua possessio emptori tradita non intelligitur, si alius in ea legatorum fidei commissorum servandorum causa in possessionem est, aut creditores bona possideant. Idem dicendum est, si venter in possessione sit: nam et ad hoc pertinet vacui appellatio.

3. POMPOSIUS, lib. 9, ad Sabinum.

Ratio possessionis, quae a venditore fieri debeat, talis est, ut, si quis eam possessionem jure advocaverit⁸ tradita possessio non intelligatur. — § 1. Si emptor vacuum possessionem tradi stipulatus sit, et ex stipulatu agat, fructus non veniunt in eam actionem: quia et qui fundum dari stipularetur, vacuum quoque possessionem tradi oportere, stipulari intelligitur, nec⁹ tamen fructuum praestatio ea stipulatione continetur¹⁰, neque rursus plus debet esse in stipulatione, sed ex empto superesse ad fructuum praestationem. — § 2. Si iter, actum, viam, aqueductum per tuum fundum emero, vacuae possessionis traditio nulla est: itaque cavere debes, per te non fieri, quo minus utar. — § 3. Si¹¹ per venditorem vini mora fuerit, quo minus traderet, condemnari eum oportet, utro tempore plures vinum fuit, vel quo venit, vel quo litis in condemnationem deducitur, item quo loco plures fuit, vel quo venit, vel ubi agatur. — § 4. Quod si per emptorem mora fuisset, aestimari oportet pretium, quod sit, cum agatur, et quo loco minoris sit. Mora autem videtur esse, si nulla difficultas venditorem impediatur, quo minus traderet, praesertim si omni tempore paratus fuit tradere. Item non oportet ejus loci pretia spectari, in quo agatur: sed¹² ejus, ubi vina tradi oportet: nam quod a Brundisio vinum venit, etsi venditio alibi facta sit, Brundisii tradi oportet.

4. PAULUS, lib. 5, ad Sabinum.

Si servum mihi ignoranti, sciens¹³ furem, vel noxium esse, vendideris, quamvis duplam promiseris, teneris mihi ex empto, quanti mea intererit scisse, quia ex stipulatu eo nomine agere tecum non possum, antequam mihi quid abesset. — § 1. Si modus agri minor¹⁴ inveniat, pro numero jugerum auctor obligatus est: quia ubi modus minor invenitur, non potest aestimari bonitas loci, qui non exstat: sed non solum, si modus agri totius minor est, agi cum venditore potest, sed etiam de partibus ejus, utputa si dictum est, vineae jugera tot esse, vel oliveti, et minus inveniat. Ideo [que] his casibus pro bonitate loci fiet aestimatio.

5. Idem, lib. 5, ad Sabinum.

Si heres testamento quid vendere damnatus sit¹⁵, et vendiderit, de reliquis¹⁶, quae per consequentias emptionis propria sunt, vel ex empto, vel ex testamento, agi cum eo poterit. — § 1. Sed si falso existimans se damnatum vendere, vendiderit, dicendum est, agi cum eo ex empto non posse, quoniam doli mali exceptione actor summoveri potest: quemadmodum si falso existimans se damnatum dare, promississet, agentem doli mali exceptione summoveret: Pomponius etiam incerti¹⁷ condicere eum posse ait, ut liberetur.

6. POMPOSIUS, lib. 9, ad Sabinum.

Tenetur ex empto venditor, etiam si [agnoverit] minorem fundi modum esse. — § 1. Si vendidi tibi insulam certa pecunia, et ut aliam insulam meam rescisceres, agam ex vendito, ut reficias: si autem hoc solum, ut rescisceres eam, convenisset, non intelligitur emptio et venditio facta, ut [et] Neratius scripsit. — § 2. Sed si¹⁸ aream tibi vendidi certo pretio, et tradidi ita, ut insula aedificata partem dimidiam mihi retradas, verum est, et ut aedifices, agere me posse ex vendito, et ut aedificatam mihi retradas: quamdiu enim aliquid ex re vendita apud te superasset, ex vendito me habere actionem constat. — § 3. Si locum sepulchri eme-

7. L. 4, § 1, L. 6, § 4, infr. eod.; L. 69, in fin. infr. de evictio. — 8. Fac. L. 23, § 3, infr. de legat. 3; L. 23, infr. de acquir. vel amit. possess. — 9. L. 78, in fin. infr. de verb. oblig. — 10. Vide tamen L. 4, in pr. infr. de usur. — 11. L. 25, supr. de reb. cred. L. ult. supr. de condit. tritic. — 12. L. 15, § 1, supr. eod. — 13. L. 49, § 8, infr. de legat. 1. — 14. L. 15, § 1, infr. h. t. — 15. L. 2, in pr. supr. eod. — 16. L. 49, § 8, infr. de legat. 1. — 17. L. 15, § 1, infr. de solution. — 18. L. 5, supr. de condit. sine caus. — 19. Junge L. 15, § 1, infr. de praeser. verb. — 19. L. 2, in pr. supr. h. t. — 20. L. 19, § 1, infr. locati conducti. — 21. L. 1, § 1, supr. commun. praed. — 22. L. 27, infr. h. t. — 23. L. 1, § 1, supr.; L. 11, §

ris, et propius eum locum, antequam mortuus ibi inferator, aedificatum a venditore fuerit, poteris ad eum reverti. — § 4. Si vas aliquod mihi vendideris, et dixeris certam¹⁹ mensuram capere, vel certum pondus habere, ex empto tecum agam, si minus praestes: sed si vas mihi vendideris, ita ut adfirmares integrum, si id integrum non sit, etiam id, quod eo nomine perdidit, praestabis mihi: si vero non id actu²⁰ sit, ut integrum praestes, dolum malum dumtaxat praestare te debere: Labeo contra [putat], et illud solum observandum, ut, nisi in contrarium id actum sit, omnimodo integrum praestari debeat: et est verum. Quod et in locatis²¹ doliis praestandum, Sabinum respondisse, Minicius refert. — § 5. Si tibi iter vendidero, ita demum auctorem me laudare poteris, si tuus²² fuerit fundus, cui acquirere servitutem volueris: iniquum est enim me teneri, si propter hoc acquirere servitutem non poteris, quia dominus vicini fundi non fueris. — § 6. Sed si fundum tibi vendidero, et ei fundo iter accessurum²³ dixero, omnimodo tenebor itineris nomine, quia utriusque rei quasi unus venditor obligatus sum. — § 7. Si filiusfamilias rem vendiderit mihi, et tradiderit, sicut paterfamilias tenebitur. — § 8. Si dolo malo aliquid fecit venditor in re vendita, ex empto, eo nomine, actio emptori competit: nam et dolum²⁴ malum eo iudicio aestimari oportet, ut id, quod praestaturum se esse pollicitus sit venditor, emptori praestari oporteat. — § 9. Si venditor sciens obligatum aut alienum vendidisset [et] adjectum sit, neve eo nomine quid praestaret, aestimari oportet dolum malum ejus, quem semper abesse oportet²⁵ in iudicio empti, quod bonae fidei sit.

7. Idem, lib. 10, ad Sabinum.

Fundum mihi cum venderes, deducto usufructu, dixisti, [eum] usumfructum Titii esse, cum is apud te remansurus esset: si ceperis eum usumfructum vindicare, reverti adversus te non potero, donec Titius vivat, nec in [ea] causa esse ceperit, ut, etiam si ejus usufructus esset, amissurus eum fuerit: nam tunc [id est, si capite deminuta vel mortuus fuerit Titius], reverti potero ad te venditorem. Idemque juris est, si dicas eum usumfructum Titii esse, cum sit Seii.

8. PAULUS, lib. 5, ad Sabinum.

Si tibi liberum praedium tradidero, cum serviens tradere deberem, etiam conditio incerti²⁶ competit mihi, ut patiaris eam servitutem, quam debuit, imponi. — § 1. Quod si²⁷ servum praedium in traditione fecero, quod liberum tibi tradere debui, [tu] ex empto habebis actionem, remittende ejus servitutis gratia, quam pati non debeas.

9. POMPOSIUS, lib. 20, ad Sabinum.

Si is, qui lapides ex fundo emerit, tollere eos nolit, ex vendito agi cum eo potest, ut eos tollat.

10. ULPIANUS, lib. 46, ad Sabinum.

Non est novum²⁸, ut duae obligationes in ejusdem persona, de eadem re concurrant: cum enim is, qui venditorem obligatum habebat, ei, qui eundem venditorem obligatum habebat, heres exstiterit, constat, duas²⁹ esse actiones in ejusdem persona concurrentes, propriam, et hereditariam, et debere heredem institutum, si velit separatim duarum actionum commodo uti, ante aditam hereditatem proprium venditorem convenire: deinde, adita hereditate, hereditarium: quod si prius adierit hereditatem, unam³⁰ quidem actionem movere potest, sed ita, ut per eam utriusque contractus sentiat commodum. Ex contrario quoque si venditor venditori heres exstiterit, palam est, duas evictiones eum praestare debere.

11. Idem, lib. 32, ad Edictum.

Ex³⁰ empto actione is, qui emit, utitur. — § 1. Et in primis sciendum est, in hoc iudicio id demum deduci, quod praestari convenit: cum enim sit bonae fidei iudicium, nihil magis bonae fidei³¹ congruit, quam id praestari, quod inter contrahentes actum est: quod si nihil convenit, tunc ea praestabuntur, quae naturaliter insunt hujus iudicii potestate. — § 2. Et in primis ipsam rem praestare venditorem oportet, id est, tradere: quae res, siquidem dominus fuit venditor, facit et emptorem dominum: si non fuit, tantum³² evictionis nomine venditorem obligat: si modo pretium est numeratum, aut eo nomine satisfactum. Emptor autem³³ nummos venditoris facere cogitur. — § 3. Redhibitionem quoque contineri empti iudicio, [et] Labeo et Sabinus putant, et nos probamus.

15, in fin.; L. 45, § 6; L. 59, in fin. infr. h. t.; L. 45, L. 68, supr. de contrah. empt. — 24. L. 11, in fin.; L. 50, in fin. infr. h. t.; L. 12, supr. de hered. vel action. vend.; L. 14, § 2, infr. de edil. edict.; L. fin. C. creditor. evictio. pignor. — 25. L. 35, supr. de servit. praed. urban.; L. 26, in fin. supr. de condit. indeb. — 26. L. 7, § 3, supr. de dolo malo. — 27. L. 5, vers. refert; L. 21, § 1, infr. de fidejussor. — 28. Immo vide d. L. 5. — 29. Fac. L. 54, § 1, supr. pro reo. — 30. a. Fidor. 55, in pr. vers. nos. autem, § 1, in fin. Inst. de empt. et vend. — 31. L. 1, in pr. supr. commun. praed. — 32. L. 1, in pr. infr. de reb. permitt. — 33. d. L. 1, in pr.